

S. 570 A 13

# ÖFVERSIGT

AF

# KONGL. VETENSKAPS-AKADEMIENS

**FÖRHANDLINGAR.**

**TRETTONDE ÅRGÅNGEN.**

**1856.**

---

Med fyra taflor.

---



STOCKHOLM, 1857.

P. A. NORSTEDT & SÖNER,  
Kongl. Boktryckare.

## Innehåll.

---

	Sid.
BJÖRLING, ur läran om maxima och minima . . . . .	83.
———, bevis för formeln $A \dots \int_0^1 \Gamma(x+p) dx = \frac{1}{2} l (2\pi)$ $+ pl(p) - p$ . . . . .	181.
BOHEMAN, parning mellan olika insektarter . . . . .	229.
ERDMANN, vattenståndet i Mälaren och Saltsjön 1855 . . . . .	11.
———, vattenmärken vid Stockholm . . . . .	189.
———, Vikersgårds-grufvan . . . . .	205.
FLODERUS, dubbeltelegrafi . . . . .	115.
FRIES, E., om kapska Pilarterna . . . . .	119.
— —, arter af Hieracium . . . . .	141.
— —, Th. M., Observationes lichenologicæ . . . . .	123.
GRILL, Svenska djurnamn, ref. SUNDEVALL . . . . .	151.
HAMMARGREN, Vermlands foglar, ref. SUNDEVALL . . . . .	76.
HILL, om kvadratur . . . . .	15.
HOLMGREN, släktet Schizopyga . . . . .	69.
———, utvecklingen af Orthocentrus . . . . .	72.
HÖK, Calicotyle Kröyeri . . . . .	157.
LINDHAGEN, magnetnålens declination och inclination vid Reikiavik . . . . .	183.
LOEW, om Afrikas Diptera . . . . .	255.
MEVES, till Gottlands Fauna . . . . .	271.
MOSANDER, ref. Ville, om vegetationen . . . . .	135.
MUELLER, AL., oorganiska beståndsdelarna i hvitbetans blad olika efter platsen i bladspiralen . . . . .	185.
— —, jästens förruttelseprodukter . . . . .	243.
NILSSON, ethnografisk anteckning . . . . .	41.
———, Saurier och fiskar i Skånes kritformation . . . . .	47.
V. POST, sandåsen vid Köping . . . . .	1.
———, kross-stensbäddar i Skedvi Socken . . . . .	235.
SELANDER, om Janzons skoleglob . . . . .	191.
STENHAMMAR, exsiccater af Svenska Lichener . . . . .	171.
STÅL, hemipterologiska bidrag . . . . .	51.
—, Derbides med tre oceller . . . . .	161.
—, Orthoptera från kafferlandet . . . . .	165.
—, kapska Hemiptera . . . . .	193.
SUNDEVALL, sällsynta svenska foglar . . . . .	73.
SVANBERG L., och STAAF, bomullskruts vigtsförändring . . . . .	249.
THOMSON, nya arter af Homalota . . . . .	91.
———, svenska arter af Omalium . . . . .	223.
WAHLBERG, J., resa i södra Afrika . . . . .	173.

WALLENBREN, till Sverges Lepidopterfauna . . . . .	Sid. 213.
WARBERG, kompassens missvisning i Sverge . . . . .	131.
WISTRAND, T., året 1855 i epidemiologiskt och nosogeografiskt hänseende . . . . .	265.
ZETTERSTEDT, Pyreneernas vegetation . . . . .	231.

---

Inlemnade skrifter: BJÖRKMAN, 155; BLADIN, 155; ERDMANN, 39, 70; Förvaltningen af Sjöärendena, 113; HILL, 39; KREUGER, 79; STYPPE, 247; SUNDEVALL, 79, 113; WARBERG, 113.	
Med döden afgångne ledamöter: ASCHAN, 155; EDHOLM, 155; KLUG, 79; LAGERHJELM, 175; LÖWENHJELM, 175; POPPIUS, 39; SKOGMAN, 79; STRÖM, 247; TAMM, 175; WIKSTRÖM, 138.	
Invalda ledamöter: FAYE, 201; FOCK, 39; J. F. FÄHRÆUS, 247; NONNEN, 247; RYDQVIST, 113; SCHEUTZ, 39; SCHROEDER v. D. KOLK, 39; SIEBOLD, 201; J. WAHLBERG, 201.	
Sekreterarens berättelse på högtidsdagen . . . . .	109.
Priser: NILSSON, BJÖRLING, EDLUND, SUNDEVALL . . . . .	79.
Resanslag, BOHEMAN . . . . .	79.
Præsidis val: HUSS . . . . .	113.
Botanices Intendent: ANDERSSON . . . . .	155.
Bibliothekarie: AHLSTRAND . . . . .	39.
Utbyte af skrifter: Dorpat . . . . .	39.
Skänker till Akademiens Bibliothek: 10, 14, 38, 50, 90, 138, 150, 155, 177, 184, 200, 212, 230, 234, 270, 283.	
Skänker till Riks-Museum: Zoologiska afdelningen: 40, 80, 108, 139, 156, 175, 201, 284. — Botaniska afdelningen: 40, 139, 156, 175, 201, 242, 284. — Mineralogiska afdelningen: 80, 202, 284.	
Meteorologiska iakttagelser: 81, 179, 203.	



**Observationes Lichenologicæ, auctore Th. M. Fries.**

**Decas prima.** — Sekreteraren föredrog denna insända uppsats.

”Lichenum familia, cui cognoscendæ ante quinque circiter lustra tam multi et diligentes viri suas dedicarunt vires, longum temporis spatium fere omnino fuit inculta, donec ultimis annis studium ejus iterum reviviscere coepit. Nunc autem in nulla fere Botanices parte tanto ardore tantaque sententiarum discrepatione elaboratur, postquam omnes jam cognitæ species microscopiis, quæ nunc sunt, melioribus et acrioribus potuerunt illustrare Lichenologi novasque dispositionis methodos e jam inventis proponere conati sunt. In hoc hujus scientiæ quasi ”formationis ævo”, quum quid sit ordo, genus, species aut varietas vix inter duos convenit, difficile est mihi, nondum in his rebus satis versato, aliquid de Lichenibus in genere afferre; quod differendum mihi videtur, donec ipse, quid rectum naturæque conveniens sit, meis observationibus perspexi, ne aliena modo fretus auctoritate, quod postea falsum intelligam, amplectar. De singulis autem generibus, speciebus vel formis aliquis forsitan possum in lucem proferre, quod non omni careat utilitate, præsertim quod mihi aditus semper patet ad herbaria *Thunbergii*, *Wahlenbergii*, *Reg. Societatis Scient. Upsal.* (quod fere omnino e speciminibus *Acharianis* constat) et Patris carissimi, in quibus magna adest copia speciminum archetyporum, quæ sæpe possunt dubia tollere, synonyma figere et res obscuras dilucidare. Quibus rebus commotus, has observationes incepi, quas continuare mihi in animo est, quum tempus permiserit; variæ species, ultimis annis a me et amicis lectæ, ut novæ cives Suecanæ indicabuntur.

I. Lichen valde insignis idemque rarissimus est *Parmelia elæina* WAHLENBERG, quæ ad divisionem *Physciam* vulgo relata est, quamquam habitum *Amphilomatidis* Fr. s. *Pannariæ* Del. cujusdam præ se fert, quia hypotallo hujus spongioso-carnoso omnino caret. Cel. Nylander eam autem ad *Pannarias* duxit. Quare quum in herb. *Wahlenbergiano* adsint exemplaria typica et vix ullus Lichenologus ultimis annis, nisi obiter forsitan, hunc lichenem vidit, microscopico examini eum subjeci, ut e sporarum indole perspiceretur, ubi collocandus esset.

*Öfvers. af K. Vet.-Akad. Förh., d. 14 Maj 1856.*

Sporæ etiam eam ad *Pannarias* trahere videntur; sunt enim simplices, luteolæ, limbatæ, ovato-orbiculares, 0,008—9 millim. longæ, 0,006 millim. latæ; asci elongato-clavati, paraphysibus simplicibus, septatis, apice clavatis stipati; mucilago hynenea jodo imbuta pulchre coerulecit. Fatendum tamen est, sporas fortasse non satis fuisse maturas, quamvis apothecia, quibus includerentur, optime essent evoluta.

II. Inter species vario modo commixtas jure cencenda est *Parmelia incisa* Fr.; pro hac enim specie tres certe distinctæ habitæ sunt. Prima vice in Fr. Syst. Orb. Veg. descripta est e rupibus Guineæ et hæc pro vera *P. incisa* Fr. habenda; dein in Fr. Lich. Eur. alia, huic haud dissimilis ex Europa meridionali, descripta, quæ a Cel. Chaudard eodem fere tempore nomine *P. pruinosa* est salutata tandemque Cel. Stenhammar in comitio naturæ scrutatorum Scandinaviæ 1842 Holmiæ habito, aliam in Suecia lectam commemoravit, quæ etiam in Fr. S. V. Sc. ut *P. incisa* enumeratur et in Lich. Su. exs. exhibitæ est. Quum specimina originalia harum omnium mihi licuerit examinare, pleniore harum specierum descriptiones mihi nunc in animo est proponere, ut errata ulteriora evitentur:

1 *Parmelia (Placidium) incisa* Fr. (S. Orb. Veg. p. 284!): thallo late effuso, adpresso, crustaceo-folioso, radiatim rugoso-plicato, in ambitu lobato, lobis subcanaliculatis, pallide stramineo dein albescenti-pruinoso; apotheciis sessilibus, primitus cupularibus margine involuto, dein concaviusculis vel planis, margine thallode semper elevato, primitus integro dein varie crenato, disco primo fusco-atro, dein fere omnino atro, nudo; ascis clavatis, paraphysibus simplicibus stipatis, sporas octonas elliptico-ovoideas, simplices, limbatas, luteolas, 0,010—12 millim. longas et 0,0045—60 latas foventibus.

*Hab.* ad saxa calcarea Guineæ. (Herb. E. Fries).

Mirum in modum varias species habitu in memoriam revocat, ut *P. ambiguam*, *lentigeram*, *circinatum*, *galactinam* et subsequentem, sed duabus ultimis sine dubio proxima. Facile tamen dignoscitur præcipue thallo late effuso, arcte adpresso, lobis subcanaliculatis, apotheciis planis, epruinosis, margine semper elevato, multo magis crenato, et colore disci obscuriore. — Nullum aliud synonymon quam supra allatum ad hanc stirpem pertinet.

2. *Parmelia (Placidium) pruinosa* (Chaub. in Sit Am. Fl. Ag. p. 495!): thallo pulvinate-crustaceo, radiatim rugoso-plicato, primitus cinereo-glaucio dein pruinoso-albicante, centro contiguo rimoso-verrucoso, ambitu foliaceo-lobato, lobis convexiusculis; apotheciis subdiscretis, sessilibus, primitus cupularibus margine involuto, dein planiusculis vel convexis, margine thallode tandem crenato, primitus elevato denique fere excluso, disco substestaceo griseo-pruinoso; ascis et sporis omnino præcedentis.

*Syn. Parmelia incisa* Fr. Lich. Eur. p. 103 et 459! — *Lecanora pruinosa* Chaub. l. c.! — Mont. Arch. Bot. N:o 4, pag. 9. — *Squammaria pruinosa* Duby Bot. Gall. p. 660! — *Lecanora*

*muralis* ♂ *albescens* Schær. enum. crit. p. 66 (saltem sec. synonym.).

Fig. Mich. nov. pl. gen. t. 51. fig. 5.

*Hab.* in saxis calcareis Europæ australis, ut videtur, rarius.

Differentia specifica a priore, ad quam sese habet fere ut *P. stygia* ad *P. Fahlunensem*, nulli dubio est subjecta. Propius accedit ad *Parm. galactinam*, a qua tamen credo vere esse diversam, quamquam perpauca modos pecimina vidi, ut *pro certo* vix audeam affirmare. Diversa enim est tum disci colore lætiore subtestaceo, nec ceraceo-livido. et apotheciis minus confertis, quum thallo suo vere foliaceo, optime evoluto, diam. fere unciali, parvæ *P. lentigeræ* simili, qua re tam longe distat ab omni *P. galactina* et ejus forma *Lecan. Flotowiana* Körb., quacum facillime confunderetur, "thallo subtartareo inæquabili sæpissime oblitterato" prædita, ut, si genera *Placodium* et *Lecanora* non invitâ naturâ ita possint limitari, ut a Cel. KÖRBER factum est (quod quidem audeo negare), *Parm. pruinosa* ad *Placodium*, *P. galactina* vero ad *Lecanoram* ducenda sit. Interea ulteriori studio in ipsa natura hanc parum cognitam stirpem commendo.

3. *Parmelia* (*Physcia* \*) *stellaris* var. *pseudo-incisa*: thallo crustaceo-foliaceo, pulvinato-expanso, laxius adpresso, minus laciniato, colore albido-glaucescente in ochroleucum vergente. Præterea similis formæ primariæ.

*Syn. Parmelia incisa* Stenh. Förh. vid Skand. Naturf. möte 1842, p. 614! — Fr. S. V. Sc. I. p. 105! — *Anaptychia stellaris* var. *incisa* Massal. Symm. Lich. p. 15 (excl. syn. plurim)!

*Exs.* L. Su. exs. n:o 340!

*Hab.* ad saxa granitica prope Söderköping Ostrogothiæ.

Habitu *Placodio* cuidam haud dissimilis sed e structura interna certe varietas *Parm. stellaris*.

III. In Lich. Succ. exs. n:o 349 pro var. *Biatoræ cupreæ* (Smrft) communicavi stirpem, quam pro hac habui, exemplaribus Sommerfeltianis malis adductus, sed quæ re vera est *Biat. leucoræa* (Ach.). Postquam autem pulcherrima specimina veræ *Biat. cupreæ*, in alpibus Dovrensibus ab amicis C. et R. Hartman lecta, vidi, erratum meum plane conspicio et libenter concedo. Harum plantarum diagnoses hoc loco afferre liceat:

1. *Biatora leucoræa* (Ach. Lich. univ. p. 198 ut var. *Lec. fusco-tuteæ*): crusta effusa, granuloso-verrucosa, cinerascenti-albida, cum hypothallo confusa; apotheciis adnatis minutis, disco primitus planis, dein subglobosis, initio fulvo-ferrugineis deinde ferrugineo-fuscis, et

---

\*) Idem est *Anaptychia* sensu Massal, nec Körberi, qui *Parm. citiarem* a vicinis *P. stellari*, *pulverulenta*, *cæsia* etc., natura certe repugnante, dimovit.

tandem nigricantibus, margine concolori mox excluso; sporis in ascis clavatis octonis, hyalinis, ellipsoideis, bilocularibus nucleis polaribus, long. 0,013—16, latit. 0,006—8 millim.

Planta muscicola, sequente omnibus partibus minor.

Nomen *leucorææ* (Ach.) ut antiquius (jam 1810 datum) *sinapispermæ* (Dl. in Fl. Fr. 1815) præferendum.

2. *Biatora cuprea* (Smrfl. Suppl. p. 165 sub *Lecidea*): crusta late effusa, contigua, verrucoso-rimosa, albidâ, cum hypothallo confusa; apotheciis sessilibus, immarginatis, mox hemisphæricis, primitus aurantiacis, dein cinnamomeo-ferrugineis; sporidiis in ascis subclavatis octonis, anguste ellipsoideis, uno apice angustioribus, hyalinis, simplicibus, long. 0,012—18, latit. 0,0035—50 millim. — Fr. Lich. Eur. p. 265.

Planta nobilis, in terra glareosa alpina modo obvia.

Ex hac descriptione intelligi quoque potest, plantam a Cel. Körber Syst. Lich. Germ. p. 208 allatam veram esse *B. cupream* eandemque ideo etiam in Germaniæ alpiibus, quamquam raro, obviam venire.

IV. Multos sane eximios lichenes legit Cel. Wahlenberg in Finmarkia, qui nondum alio loco sunt inventi. Inter hos habita quoque est *Lecidea asperella* (Ach.) Fr., quam "in petris umbrosis juxta mare septentrionale rarius" legit. Pulchellam et distinctam hanc speciem mihi tamen 1852 contigit in Lassby-backar prope Upsaliam invenire, ubi saxa nonnulla humida lato tegmine ab ea vestirentur. Descriptionem accuratissimam, e speciminibus hoc loco lectis desumptam jam exhibuit Cel. Prof. Massalongo in libro: *Symmista Lich. nov. etc.* pag. 55, quare mihi restat modo addere, hanc descriptionem partibus tum externis quum internis (paraphysibus insigni modo articulatis, sporis 2—4 locularibus, hinc inde angustato-constrictis) speciminum a Wahlenbergio ipso lectorum omnino convenire.

V. In Sommerfeltii Suppl. Fl. Lapp. p. 166 leguntur hæc verba: "Hujus (*Biat. cuprææ*) crusta semper a *Calicio turbinato* obsita est". Quum igitur mihi licuerit exemplaria bene conservata hujus lichenis, de quibus supra disserui, examini subijcere, avide crustam ejus perscrutatus sum et inveni quoque lichenem perpusillum, habitu a *Calicio* s. *Sphinctrina turbinata* haud abhorrentem, crustæ granula infestantem. Quum autem omnino esset sessilis, primitus non omnino clausus ceterisque notis ad *Lecideas* referendus, hunc cum *Lecidea parasitica* Fl. (*Dactylospora Flörkei* Körb.), quacum structura interna satis congrueret, comparavi et vidi quosdam quidem characteres, quibus se jungi posset, sed quum hæ notæ mihi non magis distinctæ visæ sint, quam ut e diverso habitationis loco declarari possint, melius duxi, hanc plantam in *Biat. cuprea* parasitantem ut varietatem *Lecid. parasiticæ* proponere, donec in vivo eas accuratius examinare mihi licuerit. Characteres igitur hujus speciei et varietatis sunt:

*Lecidea parasitica* Fl.: apotheciis parasiticis, sessilibus, primitus subclausis, dein leviter urceolatis tandemque planis, nigris, nudis, mar-

gine tenui cinctis; sporis octonis, 3-septatis, elliptico-ovatis, fuscis, 0,0115—150 millim. longis et 0,004—5 latis.

Hab. in crustis variorum Lichenum præcipue *Parm. pallescentis*  $\beta$ ) *Turneri*.

$\beta$ ) *deminuta*: minor, apotheciis primitus subclausis, dein profunde urceolatis et denique planiusculis, margine aliquantulum crassiori, sporis paullulum majoribus et latoribus (0,014—16 millim. longis et 0,006 latis).

Hab. in crusta *Biatoræ cupreæ*.

Descriptio formæ primariæ desumpta est e specimine Flörkeano in Lich. Germ. exs. n:o 101. — Inveniuntur etiam sporæ majores 4 — 7 septatæ.

VI. Ab omnibus fere hujus temporis Lichenologis genus *Calicii* sensu Achar. (Vet. Ak. Handl. 1816) in duo partitur, *Cyphelium* nempe et *Calicium* sensu Notarisii. Qua autem ratione nomen hocce *Cyphelium*, præsertim si Acharius, ut faciunt omnes, tamquam auctor citetur, iis *Caliciis*, quæ ascis minutis mox dissolutis (vide infra obs. VII) sunt insignia, possit imponi, sæne non intelligo, quum ne unum quidem ex iis ad hoc genus in Monographia Lich. Calicioideorum laudati Viri, ubi primum hoc genus proprium describit, numeretur. *Cyphelium* enim Acharii l. c. omnino est idem ac ea *subdivisio* generis *Calicii*, quæ in Lich. univ. et Syn. Lich. *Acolium* vocatur i. e. (perpaucis exceptis) *Acolium* De Ntrs., Massal., Korb. etc., nec non *Trachylia* Fr. S. V. Scand. \*). Quum igitur hoc nomen *Cyphelii* omnino falso adhiberi facile intelligitur, necesse mihi videtur esse, aliam denominationem tribuere iis stirpibus, quas Cel. Massal., Korb. aliique *Cyphelia* appellant, et ut hanc *Chænotecam* \*\*) mihi placet proponere, quo nomine complectimur genera Notarisiana *Embolum* et *Cyphelium*, inter quæ nullam veram esse differentiam jam demonstravit Cel. Massalongo (Mem. lich. p. 149) et quæ conveniunt sporis mox ex ascis ejectis paraphysisque immixtis. — Lichenes Calicioidei hoc igitur modo distribuendi videntur:

1. *Cyphelium* (Ach. Vet. Ak. Handl. 1815 p. 261! e descr. et spec. fere omn.): apothecia sessilia vel innata, excipulo proprio marginata. Sporæ majores, typice uniseptatæ, coloratæ, ascis elongato-clavatis, stipitatis, dein evanescentibus inclusæ.

\*) *Trachylia* nomen eodem sensu, quo in Fr. Lich. Eur., asservandum est et ut typus hujus generis habenda *Tr. Arthonioides* (Ach.).

\*\*) Nomen e *Χαίρω*, delisco, et *Θύχη*, ascus, compositum est. — *Emboli* nomen aptum forsitan esset, nisi tam multis iisdemque diversissimis plantis fuisset tributum; ab Hallero primum enim *Mucedines* quædam ita appellatæ, dein a Batsch. tam fungi (*Stemonitis typhina*, *Arcyria punicea*) quam varii lichenes (*Calic. trachelinum*, *Conioc. furfuracea*), postea a Wallroth. omnes *Coniocybes* species et varia *Calicia* tandemque a Cel. De Notaris tres *Calicii* (*Chænothecæ*) species.



*Calicii subdivisio (Acolium)* Ach. Lich. univ. et Synops. — *Acolium* De Ntrs. (p. p.), Massal. (p. p.), Körb.! — *Trachylia* Fr. S. V. Sc. (p. p.) — *Calicii spec.* Auct. plur. — (*C. saxatile* (Fr.) ad Lich. Lecidin. referendum).

2. *Calicium* Ach. (l. c. 1816 p. 110!): apothecia stipitata vel rarius subsessilia, primitus aperta, excipulo proprio marginata.

a. *Eucallicium* \*): sporæ minutæ 1–2–4 locales, coloratæ, oblongæ, in ascis cylindræo-clavatis, paraphysum fere longitudine, diutius persistentibus inclusæ.

*Calicii sp.* Auct. omn.

b. *Chænotheca*: sporæ minutæ, simplices, coloratæ, orbiculares, primo in ascis cylindræo-oblongis inclusæ, dein, ascis inox dissolutis, paraphysibus quam ascis longioribus capillitio instar implexis inspersæ.

*Calicii sp.* Auct. pl. — *Cyphelium* Massal. Körb. — *Cyphelium* et *Embolus* De Ntrs.

3. *Sphinctrina* (Fr.) De Ntrs.: apothecia substipitata, pyriformia, primitus clausa, excipulo proprio marginata. Sporæ simplices, subrotundæ, præterea *Eucalliciorum* similes. — Plantæ parasiticæ.

*Calicii spec.* Auct. — *Sphinctrina* Massal. Körb.

4. *Coniocybe* Ach. (Vet. Ak. Handl. 1816 p. 283!): apothecia stipitata, excipulo nullo proprio marginata. Sporæ diaphanæ, præterea *Chænothecarum* similes.

*Calicii sp.* Auct. nonnull. — *Emboli sp.* Wallr. — *Coniocybe* Fr., De Ntrs., Massal., Körb.

VII. Ut character genericus a Cel. Körber Syst. Lich. Germ. pag. 313 & 318 tam *Cyphelio* (i. e. *Chænothecæ*) quam *Coniocybi* tribuitur "lamina sporigera ascis destituta," quod quidem minus apte dictum mihi videtur. Ascii enim in nulla specie primitus desunt, sed valde sunt breves, quare etiam, quum sporæ, in apicibus sitæ, sunt evolutæ, ascus dilaceratur et sporas maturas ejicit, et ceteræ sporæ, asco soluto, inter paraphyses filiformes capillitio instar implexas maturescunt, non existunt. Hoc apud *Coniocyben pallidam* facile observatur, quia tum sporæ ejus ceterarum sunt majores (diam. 0,005–6 millim.), tum non omnes ejus ascii una vice evolvuntur, sed adest quasi "inflorescentia centrifuga"; apud *Con. furfuraceam* (sporis diam. 0,0025–30 millim.) et varias *Chænothecæ* species idem etiam vidi. Cfr. præterea Massal. Mem. Lich. pag. 155 & 159. — Sporæ *Coniocybum* non sunt "globosæ"

\*) Quia nulla differentia oculis nudis inter *Eucalicia* et *Chænothecas* observari potest nec habitu inter se differunt, ut subgenera ea proposui, sed si characteres microscopici soli possunt genera condere, haud invitus hæc separo ob structuram internam valde diversam. — Ad *Eucalicia* retuli quoque *Stenocyben* Nyl., quamquam ob sporas majores, naviculares, sæpius 4 locales forsitan est discernenda.

vel "sphaeroideæ", sed orbiculares, *complanatæ*, quod facile apparet, si aquâ turbatâ circumvolventes inspiciuntur. Eandem sporarum compressionem vidi etiam apud complurâ *Calicia*, quare audeo fere dicere, hoc de Lichenibus Calicioideis in genere valere.

VIII. Planta, quæ sub nomine *Pertusariæ niveæ* in Fr. Lich. Eur. pag. 426 describitur, vix ab ullo alio Lichenologo fuit cognita, quare, multis adhortantibus, statui, specimen originale in herbario Patris asservatum accurate et microscopice investigare. Habitus externus omnino est *Pertusariæ* cujusdam minutæ pulchellæ ostiolis rubicundis, sed certissime non est planta rite evoluta; nullum enim vestigium asci vel sporæ in pluribus verrucis potui invenire. Vix planta est autonoma, sed status singularis alius lichenis. — *Pertusaria xanthostoma* Smrflit. autem copiosis prædita est sporis ovatis vel ovoideo-ellipticis utrinque rotundatis, nucleo magno luteo oleoso-granuloso foetis, simpliciter et anguste limbatis, inasco quodam quatuor, longit. 0,055 usque ad 0,074 et latit. 0,032—38 millim. — *Pertusaria rhodocarpa* Korb. e descriptione specie differre videtur.

IX. In specimenibus *Biatoræ luridæ*, ad Marmorbruket Ostrogothiæ ab amicis M. M. Floderus et W. Stenhammar lectis, inveni novam Floræ Scandinaviæ civem, *Synalissam ramulosam* (Hoffm.), inter squamas illius habitantem. Descriptiones celeberrimorum virorum Durieu et Massalongo \*) omnino conveniunt, quare supervacaneum est talem hoc loco addere. Liceat autem mihi animadversiones nonnullas leves in Lichenologos hujus ævi quatuor, qui de hac planta mentionem fecerunt, afferre.

Cel. Massalongo (Mem. Lich. p. 94) nomine utitur *Enchylii synalissi*, quia Acharius hanc plantulam ad subdivisionem suam *Enchylium* generis *Collematis* duxit. Cur autem hoc nomen huic præcipue speciei servari debeat, sane non perspicio, præsertim quum inter XXV illas species, quas ad hanc divisionem in Syn. Lich. refert vix ulla, minus quam hæc diagnosem ("lobis in humido crassissimis turgidis") æquat. Quum igitur hæc planta merito genere mota est, cur non nomen *Synalissæ* illi impositum incolume servare licet? — In Expl. scient. de l'Alg. p. 210—11 accurate describitur a Cel. Durieu, sed eam vocat *Synalissam lichenophilam*. Hoc nomen optime exprimere hujus naturam nemo negat, sed quum nomen *ramulosæ* jam usurpatum sit tum ab Hoffm. tum a Friesio (Syst. Orb. Veg. p. 297), nulla adest causa, cur mutari debeat. — Hunc auctorem secutus est Cl. Nylander ea modo exceptione, quod Dur. ut conditorem generis *Synalissæ* affert. Quum autem jam 1825 hoc genus a Friesio (l. c.) sit propositum nec a Cel. Durieu aliis limitibus circumscribitur, nescio sane, cur non veri auctoris nomen huic generi adscribi liceat. — Cel. Körber tandem verum quidem hujus generis auctorem agnoscit, sed verbum illud nunc temporis valde tritum "emend." adfigit. Quo

\*) Sporarum ovoideo-subrotundarum dimensiones mihi visæ sunt longit. 0,0070—85 et latit. 0,005—7 millim.

modo emendari possit genus, quod *unam* modo speciem complectitur, difficile est intellectu. Interea multis locis tam ille quam alii auctores hoc more utuntur; sic ex. gr. genus *Petractis*, una specie, sensu Fr. et Körb., gaudens, eodem auctore suadente, "emendandum" tamen est.

X. Inter Lichenes, qui patriam nostram incolunt, numeratum quoque est *Obryzum corniculatum* (Hoffm.) Wallr.; in Ach. Lichenogr. univ. p. 643 indicatur enim Suecia ut patria hujus lichenis, sed locus specialis non est allatus. Sine dubio tamen est apud nos sat rara species et, quantum scio, a nemine post Acharium lecta, quare dignum mihi videtur, quod adnotetur, me ante aliquot annos eam ad Witulfsberg prope Upsaliam inter muscos ad rupium latera legisse. Apothecia nulla potui invenire, modo versus apices loborum spermogonia, spermatia elliptico-oblonga, luteola, 0,003—4 millim. longa, diametro quadruplo circiter longiora, copiose foventia.

---